

# TRACTATUS DE AUCTORITATE

## SUMMI PONTIFICIS,

SUPER ARTICULUM DECIMUM QUÆSTIONIS PRIMÆ HUIUS  
SECUNDÆ SECUNDÆ.

## PROËMIUM.

Tractaturus D. Thomas in prima quæstione suæ secundæ de natura, et quidditate fidei scientifico ordine procedens ex duobus totam ejus specificam rationem adæquate explicat, ostendens quæ sit ejus ratio formalis, et quod sit objectum materiale, quod credendum proponitur per fidem, ejusque conditiones. Et quidem ratio formalis sub qua fides objectum suum attingit, et per quam formalissime specificatur, est veritas divina revelans per modum testimonii, seu auctoritatis testificantis, ex quo sequitur summa, et infallibilis ejus certitudo in tali testificatione, tam active, quam passive: active quidem, quatenus ipse testificans est summa veritas: passive autem ex parte intellectus credentis, quatenus ipsa divina auctoritas nobis proposita facit in nobis electionem voluntariam, per quam intellectus determinatur, ut firmiter inhæreat his, quæ sunt fidei, et eis certissime assentiat, ut dixit S. Thomas ad Hebræos XI, lectione prima.

Ex quo obiter colliges, auctoritatem divinam ut generet assensum, et infundat habitum inclinativum ad credendum prius tangere voluntatem, et mediante illa intellectum, juxta quod dicitur Act. XVI: *Cujus Dominus aperuit cor intendere iis, quæ dicebantur a Paulo*, qui utique annuntiabat illis fidem, ita quod prius tangit cor, quam intellectum, et ideo dixit bene Cajetanus 2-2, quæst. CLXXI, art. II, quod fides non est lumen intellectuale simpliciter, sed lumen intellectus ut moti a voluntate, et hac ratione intrat pia affectio, et requiritur ad specificam rationem fidei.

At vero objectum materiale fidei, seu res credendæ, et attingendæ per talem revelationem, ut sint materia fidei duas conditiones requirunt, quas D. Thomas hic explicat. Prima, quod talis res sit non apparens, sicut expressit Apostolus definiens fidem Hebr. XI: *Argumentum non apparentium*: cum autem rem esse non visam, seu obscuram sit denominatio extrinseca, sicut e contra esse visam, seu claram est denominatio quædam proveniens a vidente, vel a luce illustrante, hinc est quod rem esse non visam, seu obscuram a duplici principio potest provenire, vel ab ipso medio, vel ratione cognoscendi; medium enim obscurum relinquit objectum obscurum: secundo, ab ipso subjecto non vidente, a quo denominatur extrinsece res non visa, sicut e contra, a subjecto vidente deno-

minatur extrinsece res visa. Quando ergo dicitur quod ut aliquid sit objectum fidei debet esse non visum utroque modo intelligitur, scilicet obscurum ratione medii obscuri, quia cum ratio formalis fidei sit revelatio per modum auctoritatis, et testimonii, non facit rem apparere, sed obscuram relinquit.

Similiter etiam intelligitur quod ut aliquid sit objectum fidei debet esse non visum denominatione extrinseca proveniente a subjecto credente, quatenus ad hoc quod aliquid sit materia fidei supponatur tamquam conditio quod non sit visum a credente; unde docet D. Thomas loco citato ad Hebræos quod propria materia habitus fidei sunt non apparentia, et expressius Cajetanus 2-2, quæstione LXVII, articulo V in fine inquit, quod ly non visum in objecto fidei est denominatio quædam extrinseca proveniens a non vidente: itaque sicut parietem esse visum est denominatio extrinseca proveniens a vidente, sic objectum non esse visum est denominatio proveniens a non vidente, et ideo ut aliquid sit objectum fidei debet supponere quod intellectus credentis non videat tale objectum. Et hinc est quod fides non solum repugnat scientiæ, aut evidentiæ ratione medii, quia scilicet medium, seu ratio formalis ejus est obscura, sicut repugnat opinio cum scientia, sed etiam ex parte subjecti quatenus ut aliquid sit materia fidei supponitur quod non sit apparens, seu non visa ab ipso subjecto credente, nam si videt semel quantumcumque sibi narretur, non credet.

Altera conditio requisita ad materiam fidei, quæ ad nostrum pertinet institutum est quod sit proposita ab Ecclesia catholica, et ab ejus capite, in quo est infallibilis regula fidei, vel eorum quæ ad fidem spectant, et de hac agimus hic. Quod ut intelligas adverte, quod ista conditio, et hæc regula visibilis non requiritur quomodocumque in fide, sed in ordine ad nos, quia Deus non loquitur nobis immediate, nec per seipsum immediate proponit res revelatas, sed mediantibus aliis hominibus, quibus ipse locutus est, partim per Angelos in sermone prophetico, partim per semetipsum in carne apparens, juxta quod ait Paulus ad Hebræos I: *Multifariam multisque modis olim Deus loquens patribus in prophetis, novissime diebus istis locutus est nobis in Filio, etc.* ubi ly in prophetis, et ly in Filio ponuntur tamquam media, quibus Deus proposuit res fidei. Si autem Deus etiam nobis immediate proponeret ea quæ credenda sunt, non est dubium quod nulla indigeremus regula visibili proponente, sed certificaremur immediate ab ipso spiritu Dei de materia proposita ad credendum, sicut Apostoli, et prophetae edocti sunt, qui non ab Ecclesia acceperunt, sed ipsi potius tradiderunt Ecclesiæ res fidei juxta illud Lucæ I: *Sicut tradiderunt nobis, qui ab initio ipsi viderunt, et ministri fuerunt sermonis*: et I Joannis I: *Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris testamur, annuntiamus vobis*; quia ergo Deus non immediate proponit nobis veritates fidei, sed per alios homines tradit, necesse est quod inter illos qui tradunt, seu proponunt sit aliqua firma, et infallibilis auctoritas per quam discernantur ea quæ vere de fide sunt, ab his quæ non sunt de fide; alias fluctuaremus omni vento doctrinæ.

Neque ad hoc sufficiunt solæ Scripturæ sacræ, et traditiones, cum istæ depravari possint ab hominibus, juxta quod dicitur II Petri ultimo de epistolis Pauli: *In quibus sunt aliqua difficilia intellectu quod indocti, et instabiles depravant.* Ubi insinuat duplex ratio, quare non sufficiunt solæ Scripturæ sine auctoritate alicujus proponentis, et propter difficultates intelligendi Scripturas, quarum sensus cum sæpe sit obscurus, et occultus, oportet quod per aliquam regulam certam accipiatur certus sensus, et non ad libitum cujuscumque; et ideo Dominus inter præcipua dona, quæ dedit Apostolis, ut dicitur Lucæ ultimo: *Aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas.* Secundo, propter depravationem, quæ fieret a multis in Scripturis, nisi ab aliqua auctoritate superiori judicaretur de

sinceritate, et veritate Scripturarum, sicut sæpe ab hæreticis depravatæ sunt, vel aliqua apocrypha inculcata pro veris Scripturis, quæ annumerat Gelasius papa in capite Sancta Romana, distinctione xv. Et idcirco Dominus hanc regulam, et fundamentum in Petro constituens, ejusque successoribus, inquit Lucae xxii: *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Quæ juxta ea quæ dicta sunt explicat optime S. Leo papa, sermone ii de natali Apostolorum: « In Petro, inquit, omnium fortitudo munitur, et divinæ gratiæ ita ordinatur auxilium ut firmitas, quæ per Christum Petro tribuitur, per Petrum Apostolis conferatur »: et sermone iii de sua assumptione: « Tantam, inquit, potentiam dedit ei Dominus, quem totius Ecclesiæ principem fecit, ut si quid etiam nostris temporibus recte per nos agitur, recteque disponitur, illius sit gubernaculis deputandum, cui dictum est: Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos: » constat ergo Christum ideo firmasse auctoritatem Petri, quia ea quæ sunt fidei, mediante Petro debent aliis infallibili regula proponi, et per ipsum, ac successores suos in Ecclesia in perpetuum conservari.

Opportune ergo D. Thomas tractans hic de objecto materiali fidei, et de his, quæ in symbolo continentur credenda, articulum hunc interposuit ad ostendendum, quod pertinet ad summum pontificem, ad quem pertinet veritates fidei tradere, ut per ejus auctoritatem discernamus ea quæ sunt fidei, ab illis quæ non sunt, et illum probetur esse hæreticum, et contra veram fidem, qui ab ipsa summi pontificis auctoritate tamquam a visibili regula fidei discedit. Neque enim ut dixit Cyprianus epistola lv, aliunde hæreses obortæ sunt schismata quam inde, quod sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Ecclesia ad tempus sacerdos, et ad tempus iudex vice Christi cogitatur. Et ideo optime Irenæus libro iii, capite iii, per fidem Romanæ Ecclesiæ omnium confundi errores confitetur, tamquam per regulam certam credendorum, dum inquit: « Romæ fundatæ, et constitutæ Ecclesiæ, eam quam ab Apostolis habet traditionem, et annuntiatam hominibus fidem, per successiones episcoporum pervenientem usque ad nos indicantes, confundimus omnes eos, qui quoquomodo, vel per sui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem, et malam sententiam, præter quam oportet colligunt: ad hanc enim Ecclesiam propter potentioris principalitatem necesse est omnem Ecclesiam convenire. » Constat ergo quod sicut ex auctoritate sedis apostolicæ omnium errorum dependet confutatio, ita in hoc tractatu totius catholicæ rei summa disputetur; stabilita enim firma regula fidei, in his quæ credenda sunt, et tenenda facile dissolvuntur errores omnes, et a fide discernuntur sincera.

Ut autem tractatum istum convenienter prosequamur, primo agemus de ipsa auctoritate, et primatu supremi capitis quantum ad ejus institutionem: secundo, quantum ad potestatem, et objecta ad quæ se extendit, quæ sunt in duplici genere, nam extenditur ad spiritualia, et ad temporalia, secundum quod hæc ordinabilia sunt ad vitam æternam, cum et ipse Dominus Petro potestatem dederit in duplici gladio, juxta illud Lucae xxii: *Ecce duo gladii hic,* quod Bonifacius VIII in extravaganti Unam sanctam, intelligit de duplici potestate papæ spirituali et temporali afferens verba Bernardi iv de consideratione, capite iii, quibus id probat, et ideo de utroque agendum erit.

## SEQUITUR EXPOSITIO LITTERÆ

D. THOMÆ.

In articulo decimo inquit S. Thomas utrum ad summum pontificem pertineat symbolum fidei ordinare. Respondet triplici conclusione. Prima conclusio: Ad summum pontificem pertinet finaliter determinare ea quæ sunt fidei. Secunda conclusio: Ad solam auctoritatem summi pontificis pertinet nova editio symboli, et omnia alia quæ pertinent ad totam Ecclesiam, ut congregare Synodum generalem, etc. Tertia conclusio ad secundum: Ad summum pontificem pertinet per sententiam confirmare Synodum.

## DISPUTATIO I.

DE PRIMATU, ET INSTITUTIONE SUPREMI  
CAPITIS IN ECCLESIA, QUI EST ROMANUS  
PONTIFEX.

## ARTICULUS I.

*Utrum necesse sit in Ecclesia ponere aliquam supremam potestatem visibilem ad proponendum, et determinandum rei fidei?*

I. Totum hæreticorum pondus in hac parte eo veritatem intendit præcipitare, ut probent nullatenus visibile, et supremum caput in Ecclesia constituendum esse, ut de rebus fidei, et de doctrina judicet, sed iudicium de doctrina, et credibilibus ad uniuscujusque hominis spiritum pertinere, quod tum rationibus tum Scripturæ auctoritatibus infra addu-

centis comprobare conantur. In contrarium tamen obstat: quod si esset credendum in dubiis fidei, et determinandum id quod tenendum est de fide per uniuscujusque spiritum, frustra Apostoli congregassent Concilium ad determinandum quæstionem de observatione legalium, ut habetur Actorum xv. In qua determinatione non solum Spiritum, sed etiam se ipsos pro regula proponunt dicentes: *Visum est Spiritui sancto, et nobis.* Item Apostolus propterea rejiciendum monet hæreticum hominem, quia proprio iudicio condemnatur, ut habetur ad Titum iii: *Hæreticum hominem post unam, et secundam correptionem devita, sciens quia subversus est qui ejusmodi est, et delinquit cum sit proprio iudicio condemnatus;* ergo subversio, et delictum hæretici est in sequendo proprium iudicium, per hoc enim condemnatur. Item ii Petri i: *Hoc primum intelligentes quod omnis prophetia Scripturæ propria interpretatione non sit, non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, etc.* ergo non licet nobis propria interpretatione Scripturam proponere, aut credenda determinare. Item Paulus ad Galatas ii, contulit evangelium quod prædicabat in gentibus cum his qui videbantur esse aliquid: *Ne forte, inquit, in vacuum currerem, aut concurrissem.* Ergo necessarium est in his quæ sunt fidei recurrere ad aliquam regulam, et auctoritatem visibilem, cum qua conferatur.

II. Pro hujus quæstionis dilucidatione antequam hæreticorum errores, et catholicam sententiam proponamus supponendum est, quod dupliciter possumus intelligere quod in determinatione rerum fidei, et earum propositione, et interpretatione Scripturæ standum est proprio iudicio; uno modo, sine aliqua omnino relatione ad aliquid exterius

per quod confirmetur, vel cum aliquo ordine ad aliquid exterius, et visibile per quod constare possit de veritate, et determinatione ejus, quod proponitur. Et quidem proprium est omnium hæreticorum proprio judicio, et electioni niti, non tamen omnium hæreticorum est negare omnem regulam visibilem per quam judicetur res fidei. Hæresis enim ut docet D. Thomas 2-2, q. xi, art. 1, ex D. Hieronymo super caput v ad Galatas, et habetur xxiv, quæst. iii, capite Hæresis: « Hæresis Græce ab electione dicitur, quod scilicet eam sibi unusquisque eligat disciplinam, quam putat esse meliorem. » Quod et antea dixerat Tertullianus libro de præscriptione contra hæreticos explicans illud Apostoli ad Titum iii, de homine hæretico quia subversus est, delinquit proprio judicio condemnatus: « Ideo, inquit Tertullianus, sibi damnatum dixit hæreticum, quia et in quo damnaretur sibi elegit, nobis vero nihil ex nostro arbitrio indulgere licet, sed nec eligere quod aliquis de arbitrio suo induxerit. » Omnis ergo hæreticus proprio sensu, et judicio ducitur, secundum quod ly proprius excludit illum qui est catholicæ Ecclesiæ, secundum quod proprium opponitur communi, et universali.

III. Cæterum multi hæretici regulam visibilem quærebant per quam suam probarent, aut confirmarent opinionem, etsi non veram regulam admittebant, et in hoc etiam ducebantur proprio judicio, quod non solum sententiam in rebus fidei ex proprio sensu, sed etiam regulam exteriorem juxta suum placitum constituiebant, unde et habebant concilia, seu potius conciliabula ad sua dogmata tractanda, et judicanda, ut secundum formam concilii ea proponerent, et judicarent. Et sic Donatistæ conciliabula Car-

thagine congregarunt; Ariani similiter, et Semiariani plura conciliabula fecerunt ad decipiendos catholicos, et sua dogmata confirmanda, ut constat ex tomo primo Conciliorum, sicut etiam conciliabulum Ephesinum convocatum est, ubi fuit absolutus Eutyches, et plura alia in libris Conciliorum sparsim leguntur. Sic ergo hæretici isti etsi ex proprio judicio, et propria electione contra universalis Ecclesiæ sensum suas sententias edocebant aliquam tamen exteriorem admovebant regulam, etsi suo etiam sensu introductam ad proponendas determinationes suas falsas circa res fidei: sicut etiam modo Anglicanum schisma fatetur debere dari supremum caput in spiritualibus, illud tamen esse regem in unoquoque regno. Cæterum alii hæretici recentiores addentes prævaricationem, et implentes mensuram patrum suorum in tantum prolapsi sunt, quod judicium de rebus fidei nolunt ad aliquam regulam exteriorem reducere, sed ad unumquemque hominem privatum, qui debeat judicare juxta verbum Dei, et Scripturas, an ita sit quod sibi proponitur credendum. Ita docuit Lutherus, quem secuti sunt Brentius, Calvinus, Kemnitius, cæterique hujus temporis pestes.

IV. Nihilominus vera, et catholica sententia est, judicium de rebus fidei, et earum propositionem, ac determinationem pertinere ad aliquam visibilem regulam exteriorem proponentem, et non ad solum cujuscumque judicium. Etsi autem pro catholicis sufficeret declaratio Concilii Tridentini sessione iv, ubi decernit ut nemo suæ prudentiæ innixus in rebus fidei, aut morum ad ædificationem christianæ doctrinæ pertinentium, sacram Scripturam ad suos sensus contorquens, contra eum sensum, quem tenuit, ac tenet

sancta mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu, et interpretatione sacrarum Scripturarum audeat explicare. Et in Concilio Milevano secundo, capite ii, explicans quamdam Scripturæ auctoritatem, non aliter intelligenda dicitur, nisi quemadmodum Ecclesia catholica ubique diffusa semper intellexit, quam ibi vocat regulam fidei. Ut omittam quod habetur in canone xix Trullano tomo tertio Conciliorum ne Scripturam aliter interpretentur, quam quomodo Ecclesiæ luminaria, et doctores suis scriptis exposuerunt. Omitto hunc canonem, quia constat canones istos Trullanos non esse probatæ fidei, quamvis non levis probatio sit auctoritas ab inimicis extorta.

V. Nihilominus quia hæretici Concilia non suscipiunt, et de hoc ipso disputamus, an illorum, et Ecclesiæ judicio standum sit in rebus fidei, ideo ad istos convincendos alias probationes oportet afferre: nec tamen ad solam, et nudam Scripturam recurrendum nobis est, si quidem de hoc ipso cum hæreticis est quæstio, quisnam debeat nobis indicare veram, et legitimam Scripturam. Ideoque recte his hæreticis quadrat id quod pulchre notavit Tertullianus de præscriptionibus contra hæreticos, cap. xix: « Non ad Scripturas, inquit, provocandum est, nec in his constituendum certamen in quibus aut nulla, aut incerta victoria est, aut parum certa. Nam etsi non ita evaderet collatio Scripturarum, ut utramque partem pateret, ordo rerum desiderabat illud prius proponi, quod nunc solum disputandum est: quibus competat fides ipsa, cujus sint Scripturæ, a quo, et per quos, et quando, et quibus sit tradita disciplina, qua fiunt Christiani. Ubi enim apparuerit esse veritatem disciplinæ, et fidei christianæ, illic erit veritas Scriptu-

rarum, et expositionum, et omnium traditionum christianarum. » Ecce necessitas regulæ exterioris, ac visibilis ad rem fidei, scilicet ubi apparuerit esse veritatem disciplinæ. Et infra: « Quid prædicaverint Apostoli, id est, quid illis Christus revelaverit, et hic præscribam non aliter probari debere, nisi per easdem Ecclesias, quas ipsi Apostoli condiderunt. » Si hæc ita sunt, constat proinde omnem doctrinam, quæ cum illis Ecclesiis apostolicis matricibus, et originalibus fidei conspiret veritati esse deputandam.

VI. Et tandem postea capite xxxvi, percurrens Ecclesias apostolicas, id est, ab Apostolis fundatas, inquit: « Habes Romanam Ecclesiam unde nobis quoque auctoritas præsto est. Statu felix Ecclesia est, cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt. » Ecce quas probationes affert Tertullianus contra hæreticos ad ostendendum apud quos sit recta fides, et cui regulæ in ejus determinationibus standum est. Quod etiam ante Tertullianum fecit S. Irenæus lib. iii de fide, capite iii, ubi hæreticos provocat ad traditionem Apostolorum toto orbe manifestatam in omni Ecclesia, præsertim Romana: « Ad quam, inquit, propter potentiorem principalem oportet omnem convenire Ecclesiam: » et tandem concludit capite quarto: « Tantæ igitur ostensiones cum sint hæc, non oportet adhuc quærere apud alios veritatem, quam facile est ab Ecclesia sumere, cum Apostoli, quasi in depositarium dives plenissime in ea contulerint omnia quæ sunt veritatis. » Pulchre denique S. Augustinus in libro contra epistolam fundamenti, tomo sexto, postquam capite quarto numeravit ea quæ ipsum tenerent in Ecclesia catholica, in qua vera sapientia invenitur, ne ab ea discederet, scilicet

consensio populorum, auctoritas miraculis inchoata, et vetustate firmata, successio episcoporum in sede Petri, ipsum denique nomen catholicæ, subdit postea capite quinto: « Ego vero evangelio non crederem nisi me catholicæ Ecclesiæ commoveret auctoritas »: et infra: « Si dixeris: Noli catholicis credere, non recte facies per evangelium me cogere ad Manichæi fidem, quia ipsi evangelio catholicis prædicantibus credidi. » Ecce quomodo per solum verbum Dei, seu evangelium sine auctoritate Ecclesiæ proponentis, et judicantis nemo potest cogere, et convincere ad id quod tenendum est, si quidem ut evangelio credam, oportet quod ab aliquo mihi proponatur, cujus auctoritati credam.

VII. Sic ergo ad quatuor principia reducimus probationes contra hæreticos de veritate catholica proposita. Primo, ad ipsum verbum Dei, cui ipsi affirmant esse credendum juxta proprium judicium, ostendendo quod si verbum Dei admittunt, et Ecclesiam proponentem debent admittere quia id continetur in verbo Dei; secundo, ad unitatem fidei, quæ conservari non potest si ad cujusque spiritum reducatur regula credendorum: tertio, ad impossibilitatem quam involvit hæc hæreticorum positio: quarto denique, ad communem consensum tot populorum, et gentium quæ ab ipso nascentis Ecclesiæ exordio usque nunc suam fidem, et determinationem eorum, quæ credenda sunt ex aliqua visibili, et exteriori regula desumpserunt.

VIII. Prima ergo probatio sic deducitur: Si regula fidei est ipsum verbum Dei juxta quod judicare debemus de ejus sensu et interpretatione, et de his quæ fidei sunt; ergo oportet quod etiam ad regulam aliquam visibilem recurramus in

dubiis, et controversis de fide, et consequenter non sistimus in proprio judicio. Sequela probatur ex variis Scripturæ testimoniis, quæ ipsi etiam hæretici admittunt. Et primum est illud Deuteronomii XVII: *Si difficile, et ambiguum apud te judicium esse perspexeris inter sanguinem et sanguinem, causam et causam, lepram et lepram, etc. surge et ascende ad locum quem elegerit Dominus Deus tuus, veniesque ad sacerdotes levitici generis, et ad judicem qui fuerit illo tempore, quæresque ab eis, qui indicabunt tibi judicii veritatem, et facies quodcumque dixerint qui præsumt loco, et docuerint te juxta legem ejus.* Ut efficacia hujus loci perspiciatur, refellendæ sunt responsiones quibus illum infirmare possent hæretici. Nam primo dici potest hic non agi de causis fidei, sed de causis politicis, aut temporalibus, ibi inter causam et causam, lepram et lepram: secundo, non agi de regula Ecclesiæ quoad res spirituales, quia remittuntur homines ad sacerdotem, et ad judicem quo illo tempore præest, judex autem ut distinguitur a sacerdote non est regula fidei: tertio, non ponitur hic judex causarum, et dubiorum absolute, sed cum restrictione, scilicet, facies quæ docuerint te juxta legem: ergo non est standum judicio sacerdotis nisi juxta testimonium legis.

IX. Cæterum hæc responsiones nihil juvant, nam quod agatur non solum de causis politicis sed de omnibus patet; tum ex generalitate verborum de omni ambiguo judicio inter causam, et causam; tum secundo, quia hæc eadem potestas sacerdotum quæ hic datur, explicatur amplius II Paralipomenon, XIX, et explicite extenditur ad res sacras, et spirituales, et ad ipsam legem in qua certe res fidei continebantur. Dicitur enim sic: *In Hierusalem*

*quoque constituit Josaphat levitas, et sacerdotes, et principes familiarum ex Israel ut judicium, et causam Domini judicarent habitatoribus ejus. Præcepitque eis dicens: Omnem causam quæ venerit ad vos fratrum vestrorum inter recognitionem, et cognitionem, ubicumque quæstio est de lege, de mandato, de cæremoniis, de justificationibus, ostendite eis, ut non peccent in dominium. Amarias autem sacerdos, et pontifex vester in his quæ ad Deum pertinent, præsidebit.* Ecce quomodo non solum de causis politicis, aut temporalibus, sed etiam de lege, et cæremonis, etc. quæ omnia in scriptura continebantur judicare debebant sacerdotes, et non secundum cujuscumque judicium privatum determinanda erant. Denique Christus Dominus, Matth. XXIII, agens de ista auctoritate sacerdotum: *Super cathedram, inquit, Moysi sederunt scribæ, et Pharisei: quæcumque dixerint vobis, servate et facite: ubi illa universalis quæcumque dixerint, nihil omnino excludit etiam de causis spiritualibus et ad Scripturam pertinentibus.*

X. Secunda etiam responsio refellitur, quia in eodem loco Deuteronomii sententia definitiva non ad judicem temporalem, sed ad sacerdotem reducitur, ut patet in illis verbis: *Qui autem superbierit nolens obedire sacerdotis imperio qui eo tempore ministrat Domino Deo suo ex decreto judicis morietur, etc.* ubi imperium cui obediendum est solum sacerdoti defertur, decretum vero quod magis ad executionem pertinet, judicis datur ut videlicet decernat auctoritate sua quod res illæ executioni mandentur. Item quia in loco illo Paralipomenon expresse distinguuntur ista duo officia, ut in his quæ ad Deum pertinent præsideat pontifex; ergo non ad judicem temporalem pertinebat resolutio

ultima rerum sacrarum, quæ ad Deum spectabant.

XI. Tertia denique responsio nihil valet, non enim est dubium, quod resolutio et determinatio istorum dubiorum juxta legem, seu Scripturam faciendæ sunt, sicut etiam modo in Conciliis, et definitionibus pontificum, illæ definitiones juxta Scripturam faciendæ sunt, cum Ecclesia non condant novam fidem, aut Scripturam, sed antiquam explicet, unde juxta legem, et Scripturam id facit, non tamen id debet fieri per judicium privatum, sed per judicium Ecclesiæ, visibile et externum. Alia loca Scripturæ, præsertim ex novo testamento supra in argumento Sed contra adduximus, et plura alia adducemus sequentibus dubiis.

XII. Secunda probatio, quæ est ex unitate fidei sic formatur: Ex verbo Dei constat fidem debere esse unam, ad Ephes. IV: *Unus Dominus, una fides, unum baptisma:* I ad Corinth. I: *Id ipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata, sitis autem perfecti in eodem sensu, et in eadem sententia:* sed unitas fidei, et ejus sensus, atque sententia retineri non potest si in ejus dubiis standum est privato cujuscumque judicio; ergo. Minor clare patet, cum de eodem Scripturæ loco, et ejus intelligentia, atque sensu sint diversæ opiniones, et sententiæ, imo quot hæreses fuerunt, tot sententiæ, et sensus Scripturarum fuerunt, nam ut recte dicit Hilarius libro I de Trinitate: « De intelligentia hæresis, non de Scriptura est, et sensus non sermo sit crimen. » Impossibile est ergo quod fides maneat una si determinatio ejus juxta privatum judicium sequenda est. Quod confirmatur, nam posito dubio in rebus fidei, et diversis interpretationibus Scripturæ, vel teneor assentiri meo fidei privato judicio, et Spiritui